

conjungere voces, hac addita ratione, quia in una voce duo s̄æpe
 occurrunt accentus, quorum prior neque distingvere neque con-
 jungere potest v. g. **אַבְרָהָם** & Abraham, habet Sakephum &
 Paschtam, Sakeph distingvit, sed Paschta nullius est usus, nisi
 quod tono suo ante Sakephum alias requisito, Syllabam primam
 afficiat. Ad hac excipit Frankius §. 5 1) se in *præfatione mon-
 strasse ex Masora, qua ratione duplex accentus sit in una voce, hanc
 vero partem esse omissam.* Nescio utrum verum loquatur, men-
 dax enim nullum fidem meretur. Sed infra videbimus, quot vi-
 tia Frankius in illa Masoræ versione commiserit & quod potius
 Cl. Viri sententiam evidenter probet. conf. §. 8. & 18. Si ergo est
 omissa, gratias referat censori qui expunxit; illa enim versio in e-
 jus dedecus & bibliopolæ damnum fuisset impressa. 2) excipit §.
 6. *majorem esse emphasin in voce dupli accentu notata.* Sed eum
 codicis hebræi plane ignarum esse existimo, qui omnibus voci-
 bus, dupli accentu notatis emphasin vult tribuere. Et unde
 probat emphasin in illa voce latere? nullam aliam rationem red-
 dit, quam quod in Hercule h. e. Diacritica sua hoc docuerit, quam,
 si evolvis, nil nisi mera somnia invenis. 3) Excipit §. 7. *duplicem
 accentum indicare Hebreorum epizeuxim, quam illustrat illo vulgato:
 O Coridon Coridon, quæ te dementia cepit.* Ebræi enim illud præci-
 puum præ aliis habent, quod non semper opus sit illam vocem gemi-
 nandam explicite ponere, sed possunt illam repetendam dupli accentu
 notare. *Quæ sic eandem vim habet vel ad distributionem vel ad
 exaggerationem.* Hinc Gen. V, 29. **נִי** per hic hic vertit §. 10. Sed
 hæc omnia pro autoritate dicit, nulla vero ratione probat. Fac pe-
 riculum, lege & verte bis voces, quas dupli accentu notatas in-
 venis, videbis, quod sensus sit absonus. Sic repetendæ forent vo-
 ces Merca & Mahpacho, Sakepho & Munacho, Sakepho & Pasch-
 ta &c. notatæ, quod sane absonum. Si Epizeuxis accentibus in-
 dicatur, cur quælo in sacro Codice illa figura repetita voce ex-
 primitur Ef. XXXIII, 6. *Jehova: Jehova* Deut. 28, 44. *Superne, super-
 ene, & inferne & inferne.* Nec probatur hoc Gen. V, 29. Maforetis.
 Masora enim non dicit, quod vox sit repetenda, sed quod in voce
נִי accentus Geresch primo, & Tlischa secundo loco modulatio-
 ne quadum cantandus sit. Præterea nec LXX. nec Chaldæus, nec
 Vul-